



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LI. Argumentum. Rationes decem ad suadendos homines, ne ad Ecclesiam accedant cum Sclopis, aut aliis armis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

duo. 3. Azorius tom. 3. lib. 9. cap. 3. quest. 5. Filiucius tract. 38. cap. 3. num. 57. Bonacina tom. 2. de contractib. disput. 3. quest. 6. punct. 3. num. 10. & punct. 5. num. 9. Ex Theologis Emin. Cardinal. de Lugo de iustit. & iur. disput. 30. sect. 4. num. 40. Mastrius in Theolog. Moral. disput. 5. num. 136. Et ex forensibus, Canonistis, ac Juristis Ugolinus d. Usuris cap. 55. §. 1. num. 1. Scaccia de Commercio. §. 3. gloss. 3. num. 37. Marefcottus Var. resol. lib. 2. cap. 133. num. 21. Novarius in summa Bullar. p. 1. Commentar. 126. Leotardus de Usuris quest. 31. num. 13. Et novissimè Emin. Cardinal. de Luca in suo Theatro Veritatis in tractat. de Usuris, & interesse disc. 2. in quo etfi discurret de locatione animalium æstimatorum cum pacto ut capita sint salva, & cum onere restituendi illa juxta eandem æstimationem, non autem de Societate; nihilominus benè infert ad iustitiam tùm illius, tùm nostri casus, ex compensatione periculi, & deteriorationis valoris animalium, quæ resultat, quando dominus animalium eorumdem est contentus tertia parte lucri provenientis ex illis; & cedit, ac relinquit alias duas tertias partes conductori, vel socio, ut fit in proposito mihi themate Societatis juvenearum; nam Herus habet butyri, casei, & lactis medietatem pro tertia anni parte, id est in quatuor mensibus tantum; coloni verò ultra aliam medietatem dictorum lacticiniorum, in iisdem quatuor mensibus; gaudent integris fructibus, scilicet omnibus lacticiniis in aliis octo mensibus, & quod magis est, retinent sibi omnes vitulos, nascentes ex illis juvenis toto quinquennio.

His stantibus non obstant rationes in contrarium consideratæ. Non prima, quòd in præsentì contractù præsumatur esse mutuum. Quia talis præsumptio cessat, cum ipsi coloni non petant pecuniam consumendam in aliis usibus sub ficto prætextu emendarum juvenearum; sed dominus eorum emat juvenas, & eas realiter tradat custodiendas per quinquennium iisdem colonis cum supradictis conditionibus, & utilitatibus; quas quidem juvenas verè, & realiter coloni custodiunt, & servant toto quinquennio; & sic ex veritate, & evidentia contractus Societatis cessat præsumptio contractus mutui, & per consequens suspicio usurariæ pravitatis. *l. ille, aut ille ff. de legat. 3. Rota part. 11. recent. decis. 44. num. 14. & Emin. Cardinal. de Luca in d. tractat. de Usuris disc. 8. num. 5.*

8 Secunda ratio contraria pariter cessat, quia ipsa procedit, quando dominus animalium dat ea ad caput salvum, & obligat accipientes ad periculum absque legitima compensatione, exigendo integram medietatem omnium fructuum; ut advertimus supra in hac materia de Usuris Decis. xxx. num. 17. Vers. Tertia tandem, ex auctoritate text. in cap. Consuluit. de Usuris, & ex dispositione text. lib. 29. §. Aristo. ff. Pro socio, quibus inhaerent omnes DD. quos congerit Leotardus de Usuris dict. quest. 31. num. 2. & 3.

9 Ultima tandem Ratio contraria eliditur, quia Constitutio Sixti V. non prohibet pacta licita, quibus de jure, vel de approbata Theologorum doctrina contractus Societatis iniri possunt; ut declaratum fuisse ab eodem Summo Pontifice Sixto V. testantur Comitulus Respons. Moral. lib. 3. quest. 12. num. 3. Emin. Cardinal. de Lugo

d. disp. 30. num. 37. Carleval. de iudic. tom. 2. disput. 7. num. 22. & Emin. Cardinal. de Luca d. disc. 2. de Usuris num. 10. Tradere autem in Societatem animalia æstimata cum onere restituendi ipsa in eadem æstimatione, & capita sint semper salva, licitum esse sustinet idem Emin. Cardinal. de Luca d. disc. de Usuris. §. 1. & quando dominus animalium contentus sit tertia tantum parte fructuum annuatim provenientium ex iisdem animalibus. Ergo multò magis, si Herus contentus sit minori parte, quàm tertia; & relinquat utilitatem fructuum ultra duas tertias partes iisdem sociis, ac colonis, prout in supposita mihi Praxi casus Cenetensis Diocesis.

DECISIO LI.

ARGUMENTUM.

Rationes decem ad suadendos homines, ne ad Ecclesiam accedant cum Sclopiis, aut aliis armis.

SUMMARIUM.

1. Reverentiam in Ecclesiis quibus argumentis suadendam; & in quo libro reperienda?
2. Templi profanatores cur Christus propriis manibus foras eiecit?
3. Christianorum antiquorum reverentia in Templis.
4. Sclopos breves, vulgò Pistole, deferre absque licentia Principis mortale est peccatum.
5. Excommunicatio ex Synodo Patavina in Stringentes arma in Ecclesia.
6. Imperatoria leges prohibentes delationem armorum in Templis sacris.
7. Sapientia potentior est armis.
8. Templum Judæorum cur fabricatum à Salomone, non à David?
9. Violatio Templi Dei quàm grave piaculum.
10. Missam non tenentur audire habentes inimicitias capitales.

Quia frequens est abusus in Villis deferendi arma in Ecclesiis tempore Sacrificii, requiritur:

Quibus rationibus Parochi suadebunt populis, ne in Ecclesiam deferant sclopos: seu, ut vulgo dicitur, Arme da fuoco?

Ex pluribus plures sequentes rationes colligi.

Primam. Si Parochi frequenter, & appositè prædicaverint, quanta reverentia sit Ecclesiis per fideles præstanda; & quanta veneratione, & obsequio sit in eis immorandum; In cujus primæ, ac principalis rationis comprobationem, eximia argumenta reperient animarum Rectores (præter alios libros) in concionibus quadragesimalibus adm. Rev. Pauli Segneri Soc. Jesu impressis tùm Florentinæ, tùm Venetiis, Concione XXIII. in qua demonstrat plano, sed erudito stylo, irreverentiam in Ecclesiis adeò gravem esse Dei injuriam, ut Deus, qui quicumque alias offensas sibi factas puniri mandaverit per Angelos, aut homines, aut alias creaturas, tamen profanatores Templi suis ipse manibus flagellis eiecit foras: plurimisque solidissimis argumentis, ac rationibus necessitatem obsequii, ac cultus servandi in Templis

plis sacris confirmat; quem librum sæpè legisse Parochos magnoperè juvabit.

Secundam, Ab inductione illa, quod nulli hominum petenti audientiam, vel preces oblato Magistratibus, aut Principibus, licitum est accedere sclopis stipato, vel armis offensivis induto.

3 Tertiã. Ab exemplo majorum, nam Christiani antiquis temporibus tanto obsequio stabant in Templis, ut neque filios, aut cognatos ab exteris regionibus revertentes ibidem salutarent. Romul. Marchell. Concion. Quadr. 23. numer. 2. & Theodosius Imperator depositis diademate, & armis in Ecclesiam semper introiret.

4 Quartam. Quia sclopos, præcipuè breviores, à legibus vetitos deferre, mortale peccatum est, secundum veriorum DD. opinionem, de qua testantur Salas de legib. disp. 10. sect. 9. num. 67. Sanchez in Summ. tom. 2. lib. 6. cap. 4. num. 64. & Comitol. in Resp. Moral. lib. 4. quaest. 17. num. 8. & ratio manifesta est, quia procedentes cum bellicis tormentis, & igneis armis sclopis, sclopetivè dicitur esse in causa proxima graviter delinquendi, ac etiam committendi homicidia. Farinac. quaest. 130. numer. 40. Gomez. de Delict. cap. 3. Rubr. de homicid. numer. 48. 49.

5 Quintam. Pœnam enim gravissimam excommunicationis latæ sententiæ Synodus Patavina infligit in eos, qui in Ecclesiis Arma strinxerint, alterius lœdendi, & vulnerandi gratia. Ideoque vetat sub pœna interdicti, ne quis, dum. Missæ sacrificium offertur, hastam, balistam, tormentaria manuvaria in domum Dei, & orationis inserat. Part. I. cap. 12. pag. 26.

6 Sextam. Hinc Imperatorias leges prohibentes delationem armorum in Ecclesiis refert Jo. Bapt. Matth. in Sylva Hist. part. 1. lib. 3. cap. 1. tit. 25. & Serenissimi, Piusissime Principis Nostri proclamata pro hujusmodi sacri cultus tutamine crebrò videmus.

7 Septimam. Declarandam proinde esse sententiam illam Ecclesiast. 9. 18. Melior est sapientia, quam arma bellica, cujus quidem Initium sapientia est timor Domini. Psalm. 110. 9. Accedendum igitur ad Ecclesiam, ut in ea Deum Optimum Maximum adorent in timore, juxta illud. Introibo in domum tuam, adorabo ad Templum sanctum tuum in timore tuo. Psalm. 5. 8. Non autem cum superbia armorum, & instrumentis bellicis valati.

8 Octavam. Et hac de causa voluit Deus Templum sibi fabricari, non à David Rege belligero, sed à Salomone Rege pacifico, qui etiam fecit Templi Ostia de lignis Olivarum 3. Reg. 6. 32. ad notandum, Dei beneplacitum esse, ut in spiritu humilitatis, & corde pacifico adorent homines Majestatem Divinam in sacris Templis; quod notat Pier. Valer. Hierogl. 53.

Nonam. Nec omittenda lugubria exempla rixarum, sacrilegiorum, & homicidiorum, quæ in Ecclesiis patrata olim fuerunt, cum familiarum excidio; non alia de causa, quam illa, quam tenebrarum princeps suggestit ex delatione scloporum, & armorum.

9 Decimam. Propterea incessanter repetendam, declarandam, ac inculcandam fore Divi Apostoli Pauli terribilem illam sententiam. 1. Cor.

3. 17. Si quis Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.

Quod si qui sint, à quibus in excusationem adducantur graves inimicitie, quarum causa sclopos, igneque arma secum habere eos oporteat; respondeat Parochus, illosque moneat, ut domi stent, nec ad Ecclesiam accedant; non enim obligantur audire Sacrum cum vitæ periculo. Bonacin. rom. 1. de Sacr. Eucharist. disput. 4. quaest. ultim. punct. ultim. numer. 9. pag. 129.

D E C I S I O L I I .

A R G U M E N T U M .

Quia tardatio solutionis debiti causat plura peccata; ideò in præsentì decisione declaratur pernicies tardæ solutionis, quæ vocatur Mora.

S U M M A R I U M .

1. Mora debitoris quid sit? Et quotuplex numer 2.
3. Dies interpellat pro homine, quid significet?
4. Mora ex Re unde nascatur?
5. Privilegiatus non utitur privilegio contra pariter privilegiatum.
6. Possessores mala fidei semper sunt in mora.
7. Uno ex contrahentibus partem suam adimplente alter constituitur in mora.
8. Mora alia culpabilis, alia inculpabilis.
9. Morosus debitor, & fur æquiparantur.
10. Morosi debitores redarguendi in concionibus, & confessionibus.
11. Mora quibus ex causis sit excusabilis.

Igitur quæritur primo. Quid sit Mora?

Ad hoc Quæsitum alii dixerunt, Moram esse culpabilem dilationem circa debitum solvendum, vel recipiendum creditum, ut scribit Petr. Gregor. Syntagm. Jur. lib. 21. cap. 14. num. 1. & Mascard. de Probat. conclus. 1070.

Alii; nihil aliud esse Moram, nisi Culpam præmittendi officii in solvendo, recipiendovè debito, quæ alteri damnosa est. Ita pluribus factis præmissis Anton. Pichardus disp. de Mora num. 23. post Quartum lib. Civil. Instit.

Alii; Moram esse solvendi debiti injustam, & frustratoriam dilationem; quam statuerunt Cuiac. in l. 23. de Verb. oblig. & Leotardus de Usur. quaest. 81. num. 3.

Secundò pariter quæritur. Quotuplex sit Mora? Et ad hoc quæsitum.

Dix allatæ fuerunt divisiones. Una secundum Jurisperitos. Altera secundum Theologos.

Jurisperitorum divisio est, Moram aliam esse ex persona, quæ etiam Regularis dicitur: Aliam esse è Re, quæ irregularis appellatur. Menoch. de Arbitr. Jud. cas. 220. num. 5. & Leotard. de Usur. dist. quaest. 81. num. 5. ubi DD. Mora ex persona, seu Regularis illa est, quæ resultat ex interpellatione facta debitori per creditorem petentem quod sibi debetur. l. Mora 32. ff. de Usur. Leotard. d. quaest. 81. num. 7. quæ quidem interpellatio fieri sufficit non solum in Judicio, sed etiam extrajudicialiter, aut viva voce, aut per epistolam, aut per nuncium; dummodò tamen debito modo fiat, videlicet vel personaliter, vel bis ad domum de-